3

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-FORENSIS
DE

PARTU SE ROTINO,

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO
Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERT
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CO
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.
DN. DECANO SUO SPECTATISSIMO,
Domino Patrono ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVIL
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LOCOQVE CONSUETIS
ANNO MDCCXXIX. D APRIL.
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI
SUBJICIET
RESPONDENS

GOTTLIEB OELSNER,
VRATISLAVIENSIS-SILESIUS.

HALÆ MAGDEB. TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.

PROOEMIUM.

HIſtoriæ Naturalis illa etiam laude digna inclaruit occupatio, quod poſſibili induſtria & judicii acumine rerum creatarum origines, proventus, incrementa, tempora, exiſtentiæ periodos ſive ætates, exitus, ortus & eventus, generationes & corruptiones inquirat & proponat: & cadit ſane in aſſiduos & providos tales rerum naturalium ſcrutatores, quod de veterum conſuetudine recenſetur, qui, quotiescunque aliquo die aliquid memorabile obſervabant, aut experiebantur, exclamare ſueverant, *hic dies meus eſt. conf. Martialis lib. X. epigr. 59. Seneca Suaſor. II.* Attentis obſervatoribus nullus ſane affulget dies, de quo non eloqui queant, hic Dies meus eſt: hinc nulla dies ſine Linea eſſe, imo nulla dies ſine linea medica duci & tranſigi poteſt & ſolet: Inter alias tales medita-

ſationes & obſervationes hoc loco ad ortum hominis, ſive proventum hujus in hanc lucem animum adplicamus, de quo inter alios *Cyprianus tract. I. contr. Demetriad. p. 332.* eloquitur: *nobis eadem ſors naſcendi una conditio moriendi, corporum materia ſimilis, animarum ratio communis, æquali jure & pari lege vel veniunt in hunc mundum, vel de hoc mundo poſtmodum receditur:* quare introitus hominum communis in hunc viſibilem mundum unus idemque eſt: inter alias tamen differentias, eximia ratio & circumſtantia temporis occurrit, quando videlicet partus hominis contingere debet & naturali etiam ordine ſolet: quam ob rem *Medici* de partu *naturali*, *Jure conſulti* vero de partu *legitimo* diſquiſitiones ſuas inſtituere ſolent: aſt quamvis *Clemens Alexandrinus Lib. 2. pædagog. c. 10.* aſſerat, quod *nunquam naturæ vis afferri queat, ut mutetur,* tamen Medicorum & ICtorum Iudicia de partu præmaturo & retardato paſſim inclareſcunt, ſiquidem exempla minime deſunt, quibus immaturus, præmaturus & retardatus hominis partus probari & confirmari poteſt: & ad hoc argumentum, inſignis ille, ut a multis æſtimatur, rerum naturalium indagator & obſervator, *Ariſtoteles* advertit, quando certum partus terminum in homine in dubium vocavit, partim *Lib. 7. Hiſtor. animal. c. 4.* ubi profitetur: *Cuncta animalia perfectionem partus uno modo efficiunt, quia unicum partus tempus univerſis eſt præfixum, ſolus homo multa pariendi tempora nactus eſt, cum & ſeptimeſtres, octimeſtres & nonimeſtres edat mulier, quin etiam & decimeſtres & undecimeſtres:* in hac adſertione philoſophus pro-

ma-

machus eſt, variorum a naturæ regula aberrantium: quis etiam quæſo credulitatis juramento adſeverare auderet, quod animalia alia neque præmature, neque ſerius parere ſoleant, cum rectius obſervatio contrarium teſtetur? quis pro vero adſerto defendere auderet, quod brutis certum, homini incertum tempus pariendi deſtinatum ſit? cur homini, utpote nobiliſſimæ creaturæ in hoc viſibili mundo illud privilegium divinum juſti ordinis & temporis denegatum ſit? quis pro vero defendere vellet, quod ſeptimeſtris, octimeſtris partus non præmaturus, decimeſtris & undecimeſtris viciſſim non retardatus ſit partus? neque hic *Hippocratis* authoritas hanc quæſtionem, an homini certum tempus pariendi a Deo deſtinatum & conceſſum ſit, ſufficienter decidit, quamvis ille in *libro de ſeptimeſtri partu & lib. de aliment.* affirmet, quod varia partus humani efformationis, motus & editionis tempora ſint; quæ adſertio quidem vera exiſtit, ſed quæ propterea haud defendit, quod partus humani non certum detur tempus, etenim natura pro viciſſitudine & varietate cauſarum & circumſtantiarum concurrentium in variis ſubjectis aliquando declinat & ordinem transgreditur; propterea vero in judicio a potiori deflectere non convenit: ſic animalia bruta non ſemper exactum tempus pariendi ſervant: nunc arbores & plantæ citius florent earumque fructus ante conſuetum tempus matureſcunt, ob id *Joh. Lalamantus in Comment. ſupr. lib. 2. de dieb. decretor. Galen. c. 2. fol. 148. 173. 295.* eloquitur: *fœminis ac cœteris animantibus ſtatum ſeu legitimum tempus parien-*

 di

di a natura ſeu providentia adſignatum nonum ſcilicet menſem: intra quem terminum, ſi mulier parere antevortat, vel ultra eum tardet, jam non ſtatu & præfixo a natura tempore, ſed præter tempus parere ait: Et ſicut omnia ſub divina directione & providentia poſita ſunt, ut propterea *Xenophon lib. V. de adminiſtrat: domeſtic. p. 860.* confeſſus ſit: *Deus non eodem ordine annos vertit, ſed hic præcoci ſementi commodiſſimus eſt, ille mediæ, alius ſerotinæ,* ita vel ocyus vel ſerius in partus negotio occurrentes qualitates non ad communem naturæ regulam, ſed peculiarem illam divinam providentiam pertinent: Imo quamvis juxta *Ciceronem lib. V. Tuſcull. qu. c. 35. natura nos ipſa quotidie admoneat, quam paucis, quamque parvis rebus egeat,* tamen & illa præcipitantiam ordinarie haud amat: nam inter *præmaturam* & citius abſolutam, præter neceſſitatem retardatam & cum ratione dilatam actionem magna intercedit differentia: quare *Sidonius Lib. 2. epiſt. 6.* ait: *Sæpe mora eſt melior,* & *Nicetas lib. 3. Salutaris mora pernicioſæ feſtinationi longe præſtat,* nec non *Hieronymus lib. 3. adv. Jovian. non eſt damnum dilatio, ubi certior fit ex ea dilatione victoria:* tamen viciſſim nutum & aſſenſum merentur illorum teſtimonia, quod *dilata quacunque in re cum exitio conflictentur, Plutarchus de conſolat. ad Apollin.* aut quod *plerumque ſera pro nullis ſint, Quintilian. declam. XII.* Id quod judicioſe ad naturæ varias operationes vel acceleratas, vel retardatas applicari meretur: Et ſicut *Hippocratis* judicia in doctrina de partus naturalis ratione & veritate vulgo a medicis obſervata ſint, ita illius ænigma, quod de tempore partus, an naturale exiſtat, præ-

profert NON EST, ET EST *Libr. de alimento ſ. 9. text. 6.* provida explicatione indiget: quod videlicet aliquando juſto termino temporis homo non pariatur, adeoque partus non ordinatus ſit, utplurimum tamen talis etiam exiſtat: quam interpretationem etiam merentur effata *Plinii* & *Ambroſii* quando ille *lib. 7. c. 5.* aſſerit: *cæteris animantibus ſtatum & pariendi & partus gerendi tempus eſt, homo toto anno & incerto gignitur ſpatio, alius ſeptimo menſe, alius octavo, & usque ad initia decimi, undecimique:* hic vero *lib. 5. Hexamer. c. 10. omnia animantia præſcripta habent pariendi tempora, homo ſolus indiſcreta atque confuſa:* miramur ſane quod magnus ille Plinius, qui in hiſtoria naturali ſtupenda arcana affectat, non obſervaverit, animantia ſæpe abortivum & præmaturum partum pati, (*naturalem naſcendi terminum animalia aliquando ob morbificam cauſam præveniunt.* dixit *P. Zacch. Qu. med. Leg. Lib. 1. tit. 2. qu. 5. n. 2.*) & quid in genere humano utplurimum & comparative aliquando ſolum, aut ordinarie & extraordinarie, naturaliter & præternaturaliter eveniat: & ſi in animalibus animi pathemata, nimia ſenſibilitas, &c. tantum valorem haberent ac in homine, ſi animalia tam eminentes errores in diæta committerent, ut homines, ſi animalia ob majorem ſenſibilitatem tantis offenſionibus a regiminis ratione & efficacia ſubjecta eſſent, ut homines, ſimile judicium ac *Hippocrates Ariſtoteles, Plinius, Valeſius in ſacr. Philoſ. c. 8. Horat. Augenius de homin. part. lib. 1. c. 13.* aliique tulerunt, de iisdem ferri & formari deberet: Quemadmodum

dum itaque multi medici & JCti de partu abortivo & præmaturo multo ſtudio & judicio diſſeruerunt, ita etiam dignitas obſervationis requirit, ut partus in diuturniorem moram protractus, ſive ultra ordinarium naturalem terminum retardatus peculiari etiam ſtudio inquiratur, quo illius aut veritas, aut malitioſa & fraudulenta accuſatio inclareſcat: hanc ob cauſam conſtituimus præſenti Inaugurali ſpecimine ſelectam illam diſquiſitionem de PARTU SEROTINO ſuccincta commendatione explicare, cui inſtituto ut benigniſſimus Deus annuat idque proſpero ſucceſſu beet, eſt quod in limine devotiſſime precamur.

§. I.

IN præſenti tractatione *haud* conſultum & neceſſarium eſſe exiſtimamus, ut multum *verborum* explicationi inhæreamus, ſiquidem præſens titulus in ſignificatu *communi*, ut et *medico* facile *clarus* & perſpicuus exiſtit: ſuperfluum itaque eſſet diverſam *Partus* acceptionem hoc loco recenſere velle, quam inter alios *Caranza in tr. de Partu naturali & legitimo cap. 3. de partu in genere p. 220. nn. prioribus* allegavit: & quamvis a *nonnullis* medicis *Partus* interdum pro *fœtu* accipiatur, velut a *Langio*, *Hildano*, *Helmontio*, tamen in *genuino* ſignificatu, ipſum *actum*, quo fœtus extra *uterum* exprimitur, & in lucem editur, denotat. *vid. Harvejus de generat. anim.* Sermo vero nobis impræſentiarum eſt de Partu *Serotino*; hæc meditatio & obſervatio vero quia *triplicem* ſenſum complectitur, ita illum annotabimus, quem in *præſenti*

tra-

tractatione ſervare lubet: ita enim partus ſerotinus aut *retardatus* nominatur, quando gravidæ quædam *juſto* tempore *motus* ad partum *legitimum pertinentes* experiuntur; illos vero *immoderata* & *immorigera* aut *impatienti* gubernatione turbant, adeoque partum, qui ſub *moderatiori* & tranquilliori gubernatione parientis fœminæ *citius* & facilius obtigiſſet, *difficiliorem* & *tardius* procedentem reddunt: deinde interdum *retardatur* partus, quando ſub partus *efficaci* & rigoroſo proceſſu embryo nunc *capite* ſuo *quadantenus internum* uteri orificium egreſſus eſt, quo tempore ob acutiores & *intenſiores* dolores fœminæ immoderatis *clamoribus*, ſuſpiriis, repentinis *inſpirationibus* & abdominis *compreſſionibus*, nec non inferiorum abdominis partium retractionibus aut immodeſtis corporis jectigationibus, fœtum *retrahunt*, eoque ipſo partum difficilem & *tardum* reddunt: denique accidit interdum, ut *præmature* gravidæ quædam immodicum *ſanguinis* profluvium ex utero ob *avulſas* ſecundinas experiantur, quæ denuo utero *accreſcere* haud poſſunt, & propterea *immaturus* talis embryo ad *naturalem* terminum partus conſervari nequit; interea vero ſi fœtus & ſeparata talis placenta uterina *diutius* retinentur, neque *partus* proceſſu mox removentur, multa eximia damna imminent; ſi ſub hoc ſtatu *partus promotionem* fœminæ afflictæ recuſant, eundemque hoc modo *retardant*, evenit facile, quod juſto metu antea periti medici ominati fuerant, de qua ultima *retardati* partus ſpecie *conf. Slevogtii Programma de Partus retardati nocumentis*: hiſce ſpeciminibus retardati partus adhuc annumeramus, quando quædam fœminæ, ex *illicito* congreſſu imprægnatæ, *clan-*

culum parere cogitant, adeoque *inſtantibus* & *urgentibus* motibus, partum concernentibus, quaquaverſum circumcurſitant, donec ſolitudinem inveniant, ubi clandeſtino demum partu ſe exonerare volunt, interea vero omnes *apparatus* fruſtra, & ſine ſucceſſu, decurrunt, adeoque *priores* motus quaſi *ſupprimuntur*, & illorum loco præjudicioſæ uteri *ſpaſticæ* conſtrictiones ingruunt, quæ in *totum* partus ſucceſſum multam *difficultatem* immittunt, qualis *retardatio* partus iterum valde *pernicioſa* exiſtit: de ſingulis *talibus* ſpeciebus *retardati* partus, nobis hoc themate ſermo *haud* occurrit, ſed potius de *tali* partu *Serotino* differimus, qui ultra *naturalem* & *ordinarium* terminum citra *voluntarie* datam, ſed potius ob *aliam* magis *internam* cauſam, *longiorem* moram nectit, neque aliquot *horis*, aut paucis *diebus ſerius* contingit, ſed qui in *plures dies*, imo plane aliquot *ſeptimanas* ſe extendit, ut *eminens* inde *cunctatio* obtingat, quæ tamen haud *abſolute ita* pernicioſa & præjudicioſa eſt, ac in prædictis ſpeciebus eſſe ſolet: *Talis* retardatio *diſcrepat* porro quoad terminum *longiorem* & magis *mediocrem*, quamvis *exigui* dies non æque in peculiarem conſiderationem veniant; unde in dijudicatione hujus obſervationis prudentia opus eſt, ne videlicet nimis *rigoroſe* & *arcte* terminum talem accipiamus, neve viciſſim *nimias ampliationes*, in hac obſervatione interdum occurrentes, *promiſcue* pro *indubiis* veritatibus accipiamus, ſed potius pro vero æſtimemus, quod ſæpe *fallaces* de partu *ſerotino* occurrant narratiunculæ, quæ inter *credulos* & *præjudicioſos* homines aſſenſum & admirationem obtinent.

§. II.

§. II.

Priusquam *Serotinum* Partum *ſpecialius* & clarius explicare ſuſcipiamus, antea *juſtus* & *conſvetus naturalis* terminus partus *humani* ſignificandus erit, qui *haud* ita per *eſſentiam* fallax, *incertus* & variabilis eſt, ut antiquiores quidam Philoſophi & Medici exiſtimarunt; licet *extra ordinem* imo *præter naturam* aliquando aut *anticipatio*, aut *cunctatio* in partus negotio obtingat: quam ob rem *erronea* concluſio eſt, quod propterea *homo ordinarium* pariendi terminum haud habeat, quia datur partus quinquemeſtris, ſeptimeſtris, octomeſtris, undecimeſtris &c: nam ſi a Deo utpote benigniſſimo Creatore omniumque bonorum largitore, *ordinisque* auctore *ſingulis* animalibus viventibus *certum* partus & excluſionis tempus deſtinatum, cur homini, utpote nobiliſſimæ & *principaliſſimæ* creaturæ hoc *naturale* commodum & *privilegium* denegatum fuerit? & quamvis *Hippocrates* quoad hoc partus tempus, varias *contrariantes* aſſertiones & deciſiones proferre videatur, quales *Peyſſonel in tr. de temporibus humani partus juxta doctrinam Hippocratis cap.* 2. profert, tamen hic auctor Hippocratis auctoritatem defendere, & illius adſerta conciliare & certificare laborat: *conf.* etiam *Fort. Fidelis Relat. Medic. Lib. 3. Sect. 7. c. 8. p. 479. Marc. Donatus hiſt. medic. mirab. Lib. 4. c. 13. p. 375. ſeq.* itaque in declarando partu *naturali* & JCti & Phyſici & Medici *ambigunt*, ut a *ſeptimo* ad *undecimum* Menſem terminum conſtituant (velut *Rejeſius Camp. Elyſ. qu. juc. Qu. 90. n. 1, 2.* eloquitur: *parturitionis itaque legitimum tempus nemini non notum: Hippocr. lib. de alimento nonum & decimum menſium definivit & ad undecimum usque lib. de ſeptim. part. extendit: addit*

tamen non hoc idem eſſe in omnibus, ſed alias ocyus alias ſerius; innuit vero, nec multo ſerius, ſed intra illud tempus paulo magis aut minus; hominem ab utero excludi debere; quamvis enim frequentiſſima periodus humani partus 9 & 10 menſium ſit, ut præter medicos tradunt Ariſtoteles hiſt. anim. lib. 7. c. 4. Plinius lib. 7. c. 5. leguntur tamen aliqui undecimeſtres &c. Similiter ſcribit *G. Francus in not. in Zachiam Lib. I. tit. 2. qv. 1. ad num. 5. p. 41: plurimi auctores qua veteres, qua recentiores, credunt non abſolute certum aliquem homini naſcendi terminum datum eſſe, e quibus ſufficiat ſequentes allegaſſe Ariſtot. lib. 7. hiſt. anim. c. 4. Plinius lib. 7. c. 5. quibuscum facit Thom. Bartholinus Ep. ad N. Hodoken. p. m. 74. Greg. Horſt. de cauſſ. ſimilit. Læl. Mancinus genial. diſquiſit. Cent. 1. c. 13. ſ. 2. Jaſon de partu lib. 1. de uteris & partu c. 2. Frid. Mollerus tr. de fœtu vivo & legitimo 173. dier. ſ. 120. Hennig Arniſæus lib. de partus humani legitimo termino ſ. 9.* &c. *conf. Sennertus de Morb. Mulier. p. 392.* E Jure Conſultis *vid. Caranza de partu naturali & legitimo Prolegom. n. 8. ſeq.* qui *cap. 6. de generali partus ratione n. 1. p. 412.* tamen dicit: *ex parte fœtus editi naturalis partus eſt, qui debita maturitate & perfectione ſuæ naturæ commoda & ad exercendas actiones vitales debita conſtat, & certa ad iſtam perfectionem non ſolum requiritur Partium delineatio, ut ſtrenue dixit Andr. Laurentius lib. 8. hiſtor. anatom. c. 9. qv. 29. ſed etiam earundem robur & corpulentia* &c. *Perfectum* itaque partum nos etiam appellamus *naturalem*; nam ad naturæ qualitates pertinet integritas & *relativa* perfectio: hinc fœtus quidem *perfectus* eſſe poteſt, quoad *numerum organorum*, quæ ad ſubſtantiam hominis ſpectant, attamen haud perfectus eſſe poteſt, quoad firmitatem

&

& robur corporis: quare nobis placet adſertum *Zacchiæ in Quæſt. med. legal. lib: 1. tit. 2. qv. 5. n. 1. nono & decimo menſe naſci partum perfectum dubio omni caret: nam & omnes id fatentur & frequens ac quotidiana fere experientia teſtatur, homines vulgo ac communiſſime naſci nono ac decimo menſe: adeoque ſi quis nono aut decimo a nuptiis menſe edatur, præſumitur legitimus, niſi extra nuptias eum natum eſſe probetur* & *qv. 1. n. 88. 89.* judicat, *cum ergo ſupra decimum menſem naſci ex communi conſenſu naturale non ſit, & infra nonum non naturale eſſe, jam probatum remaneat, ſequitur quod homo magis præfixum ac determinatum naſcendi terminum a natura habuerit, quam quem Ariſtot. & cæteri in ea re ſequaces voluerit:* huc referimus *Fort. Fidelis* judicium *Relat. Med. Lib. 3. Sect. 7. cap. 2. p. 452. 453. haud prorſus incertum ego ſtatuerim in fœminis edendi partus finem; ſed aliquod mihi videtur non aliene poſſe conſtitui dierum ſpatium, quod ultra aut citra ſi quis naſcatur tardius aut citius æquo prodiiſſe videri poſſit: quantum igitur ex Hippocrate veraque Philoſophia hactenus haurire potui, veriſſimum legitimi partus terminum, illud temporis ſpatium eſſe arbitror, quod noni menſis aut decimi plurimam comprehendit:* hoc judicium porro author variis teſtimoniis confirmat, & *p. 454.* eloquitur: *has autem authorum ſententias ſi quis una componat, certum aliquod, quod ſcilicet ex nono menſe ac decimi parte aliqua ſit conſtitutum pariendi tempus eliciet: conf. Ammannus in Irenico Qv. 5. p. 63. utrum homini certum tempus pariendi conceſſum a natura:* Ex conſueta, ordinaria & innumera obſervatione itaque adſerimus quod completus *nonus* Menſis, nec non *initium* & *medium decimi* Menſis *naturalis* Partus *humani* terminus

 exi-

exiſtat: *B. Bohnius in Circul. anat. Progymnaſ. 3. cap. de Partu* ab initio *p. n. 34.* dicit: *elapſis ſiquidem ab impraegnatione novem menſibus ſolaribus aut decem Lunae curriculis ſ. menſibus lunaribus, civilibus latebras ac tenebras uterinas is relinquit ac auram liberiorem & lucidam petit: vid. Job Maudray in Valetudin. Muliebr. & A. E. L. An. 1725. Menſ. April. p. 178. 179. Sennertus Prax. Lib. 4. Part. 2. Sect. 6. c. 1. de nono & decimo menſe natis & an nonus vel decimus Menſis magis legitimus ſit:* nec non: *nonus & decimus Menſis legitimum pariendi tempus* hic author in *inſtitut. Med. Lib. 1. c. 10. de tempore partus* dicit: *utplurimum tamen circa noni menſis finem & decimi principium partum naturalem accidere, atque eum terminum partui humano maxime naturalem eſſe; cum quae magna ex parte fiunt, maxime ſecundum naturam eſſe recte pronunciet Ariſtoteles 3. de part. anim. c. 3. & 1. de generat. anim. c. 19. atque hinc omnes authores authentici nonum & decimum menſem legitimum naturalis partus terminum conſtituunt, conf. Lev. Lemnius de occ. nat. mir. 4. 23. Barth. Ronſaeus de hum. vit. primord. c. 16. p. 96. ſeq. Fernelius Lib. 7. Phyſiolog. c. 11. H. Regius Phil. Nat. Lib. 4. c. 15. Anton. Everardi de hum. brutiqu. ex. p. 282. Francus in not. in Zacch. l. 1. t. 2. qv. 5. n. 10. p. 65. 66.* interea tamen quidam magis *decimo* menſe hominem per partum excludi adſerunt. vid. *Francus loco modo citato n. 19. p. 66. 67. Beccherus in Phyſ. Subterr. Lib. 1. Sect. 4. c. 4. n. 22.* dicit: *maxime legitimum & frequentiſſimum pariendi tempus eſt menſis nonus, & plurimi partus eduntur a die decimo quinto noni menſis, usque ad decimum quintum decimi menſis. Ettmüllerus de Morb. Mul.* ubi de *Partu* agit; dicit: *partus tempus naturaliter eſt menſis nonus, in hujus imprimis*

fine

ſine aut circa principium decimi. Mauriceau Lib. 3. c. 1. Rodericus a Caſtro in Medic. Polit. lib. 4. c. 12. p. 262. 263. Septimum, nonum & decimum Menſem pro legitimo partus termino agnoſcit. *Macrobius I. in Somn. Scip. c. 6.* ait: *humano partui frequentiorem uſum, novem menſium, certo numerorum modulamine natura conſtitit. conf. Herodot. Lib. 5. c. 69.*

§. III.

Terminum partus humani ſtatum, *naturalem*, perfectum, completum & *legitimum*, ſenſu *medico* ita accipiendum indicavimus: quo loco adhuc reminiſcimur illius *differentiæ*, quam *Coccejus in notis* ſuis in *Zacchiam Lib. 1. tit. 2. qv. 1.* ab initio profert, & quam allegat *Francus*: dum dicit: *alium eſſe partum legitimum, alium partum perfectum: nam & perfectus partus poteſt eſſe illegitimus, uti decimeſtris ex innupta natus, & legitimus poteſt eſſe imperfectus, ut quinquemeſtris ex juſtis nuptiis procreatur:* porro dicit: *legitimum partum ſatis conſtat eſſe, qui ex juſtis nuptiis natus eſt princ. inſtit. de patr. pot. l. 12. in fin. ff. de ſtat. hom. l. 3. l. 6. ff. de his qui ſui vel ali. jur. l. 5. ff. de in Jus voc. Perfectus autem Partus eſt, qui membris organisque illis inſtructis, quæ neceſſaria ſunt, ut ſeorſim vivere partus alique poſſit:* accipit itaque notatus author prædicationem τȣ *legitimi* in ſenſu *juridico*; ſiquidem viciſſim *medici ſuo* ſenſu *legitimum* partum pro *naturali* & *ordinario* declarare poſſunt: deinde nimis *anguſta* & *reſtricta* illa eſt appellatio *naturalis* partus, quam adfert *Henricus a Deventer in obſervat. chirurg. quibus manifeſtatur novum artis obſtetricandi lumen cap. 23. conf. A. E. L. An. 1701. Menſ. Junii p. 283.* quando *partus ſola vi naturæ, ſine arte, vel alieno auxilio perficitur,*

tur, *neque ulla obſtetricantium opera*, *præter eam*, *quæ in fœtu excipiendo ejusque fune umbilicali abſcindendo ſecatur:* vocatur itaque partus *naturalis* a *Medicis* partim reſpectu *termini* aut *temporis* juſti, partim reſpectu *modi* & *requiſitorum* ad ipſum *partum* ſpectantium; de quali etiam partu *naturali poſterioris* ſenſus egit *Sennertus* locis citatis: quam meditationem paſſim Scriptores, *artem obſtetricatoriam* commendantes, proferre ſolent: Sed dum in præcedentibus, *juſtum*, *maturum* & naturalem terminum partus indicavimus, ita illum terminum, qui nominatum non attingit, ſed qui *citius* contingit aut *immaturum* & *abortivum*, aut *præmaturum* & acceleratum vocamus: prior eſt, qui brevi *poſt conceptionem* usque in *quintum* geſtationis menſem accidit, poſterior eſt *quinquemeſtris*, *ſeptimeſtris*, *octimeſtris* & *initio noni* menſis ſuccedens: præmaturi partus *utplurimum* quidem *vivi*, i. e. notabilibus *vitæ animalis* ſignis præditi, ſed non exacte *vitales* i. e. tali *robore* & firmitate corporis inſtructi ſunt, ut *diu* per *externam* educationem & nutritionem in hac *vita conſervari* queant, hinc ob imbecillitatem *virium* & teneritudinem *partium facile* vita privantur; quæ *differentia* bene annotanda eſt, quia ſæpe inter *vivum* & *vitalem* fœtum eximia *confuſio* committitur: & quanquam duo dum idem faciunt, non idem eſt, adeoque dum *natura* partum *accelerat* aut *retardat alias* qualitates complectitur, quam ſi *arte* aut *deliberata* opera id procedit, tamen ubique *aliqualis*, ſi non *abſoluta* convenientia occurrit, dum partus præmaturus & *præcipitatus* ubique varias *difficultates* vel præſentes vel conſequentes comprehendit, uti *retardatus* partus utplurimum circumſtantias *majoris* momenti involvit: hinc etiam partus *legitimo* qui-

dem

dem tempore *ſubito* ſuccedens (qualia exempla proferunt *Helwigius in obſervat.* & *Harvæus tr. de partu p. 380.*) non ſemper eſt *optimus*, *vid. Riedlinus Lin. Med. An. 3. Menſ. Aug. obſ. 29. p. 572.* ſicut contra *peſſimo* ſucceſſu *legitimus* partus *retardatur*, quale exemplum, præter ſuperius allegata, recenſet *Riedlinus Curat. Med. 265.* quamvis *felicior* proceſſus *retardati* partus *præmaturi* ad *juſtum* pariendi terminum recenſeatur in *A. N. C. Dec. 2. An. 5. obſ. 13. p. 27.* ubi fœmina gravida *unico* integro menſe *præmaturo* pariendi conatu correpta, in qua *internum* uteri orificium apertum fuit, e quo fœtus *manum* ſuam modo emiſit, quam vero adſperſa aqua frigida retraxit, unde prædicti conatus *ceſſarunt*, & *poſt Menſtruum* ſpatium vivus & ſanus ille fœtus *legitimo* partu excluſus fuerat: De reliquo omnibus attentis & peritis medicis ſatis cognitum eſt, quid *abortus* a parte *matris* & *fœtus*; quid quinquemeſtris, ſeptimeſtris & reliqui *præmaturi* partus *difficultatis*, ambiguitatis & *periculi* inferant: ut propterea etiam *Grotius in Luc. XI.* (ut nollorum medicorum teſtimonia quæ tamen multa proſtant) elocutus ſit: *quæ abortiunt ſunt pejore loco, quam ſi nunquam concepiſſent.* Sicut *retardati* partus ſemper medicos quoad indagationem cauſæ & *ſecundum* illam cauſam quoad tractandam *puerperam*, *ſollicitos* tenent.

§. IV.

Sicuti in præcedentibus & *maturum* & *præmaturum* partum indicavimus, ita proxime *retardatus* & *ſerotinus* ſignificandus erit: haud tamen in numeranda *menſtrua* periodo, illam Menſium *diſtractionem*, qua aliqui referente *Sennerto loc. cit.* v. g. *ſeptimeſtrem* partum, in *medium octavi* menſis, *octimeſtrem* in medium *noni*, *nonimeſtrem* in medium *decimi* protrahunt & extendunt, intelligimus;

G ſed

ſed initium & finem menſium in *ordinario* & *naturali* ſenſu ac termino accipimus, ita ut novem *completi* menſes *quadraginta* hebdomadas in *illo* calculo conficiant, qui ad *geſtationem* fœtus in utero, & *partum* illius applicandus eſt: ne itaque confuſa illa & *nimis lāta* & ampla numeratio alicui præjudicio & dubio anſam præbeat, neve *favorabilem* forte *undecimeſtris* & *decimeſtris* partus defenſionem *nimium* extendant, conſtituendi ſunt cancelli, *intra* quos manere & *confuſiones* ac exorbitantias præcavere convenit; alias facile *dimidius* undecimeſtris, pro *finito* decimeſtri, & ferme ad *finem* properans undecimeſtris, pro *initiante* a defenſoribus haberi & prædicari, propterea velut de jure quis certare & certificare poſſet, quod talis, qui *illegitimus* eſt partus, pro *legitimo* dijudicari, declarari & confirmari debeat, ſi itaque *nonimeſtris* partus ordinarius eſt, & ut cum *Zacchiæ* verbis eloquamur *lib. I. tit. 2. Qv. 5. n. 3. primus omnium Menſium eſt, qui non ratione numeri, ſed ratione quantitatis temporis ex ſua natura vitalem fœtum profert: in hoc enim fœtus, qui & bene valet, & viribus ſufficientibus dotatur, & temperamento calidiore exiſtit, utplurimum ex utero egreditur &c.* ita cum eodem authore dicimus *l. c. qv. 6. n. 1. decimum menſem longiorem naſcendi terminum in homine eſſe* quo pertinent illius verba *qv. 5. n. 7. univerſa ergo temporis naſcendi latitudo in homine, a noni principio, eſt ad exactum uſque decimum, vel ad principium etiam undecimi; at in nono, & in ejus præſertim principio fortiores & calidiores, & a fortioribus & calidioribus parentibus generati ut plurimum in lucem prodeunt: inter noni finem & decimi principium naſcuntur mediocriter circa eas res ſe habentes; decimo exacto debiliores & frigidiores &c.* Quamobrem partum, qui circa *finem*

de-

decimi Menſis ſuccedit, totum *undecimeſtrem*, tanto magis reliquos, quales allegant *Zacchias l. c. qv. 6. Fort. Fidelis. Relat. Medic. Lib. 3. Sect. 7. cap. 9. p. 480. Rejeſius qv. 90. n. 2. Schenkius in obſerv. med. lib. 4. de Partu p. 580-582. Zwingerus in theatr. vit. hum. p. 270. ſeq. Marcell. Donat. Hiſtor. Med. Mir. lib. 4. c. 13. Caranza c. 14. & 15. Guldenklee Reſp. 36. Bartholinus de inſolit. partus viis. c. 2. p. 8. ſeq. Codronchius in method. teſtificand. p. 205. Spigelius de formato fœtu. P. 3. c. 7. Sennertus Prax. lib. 4. Part. 2. Sect. 6. c. 1. de undecimo & duodecimo natis. Pineda lib. 1. de Salom. c. 1. A. N. C. dec. 3. an. 3. obſ. 23. D D. Præſes in Juriſpr. Medic. Part. 1. c. 7. ʃʃ. 18-21. p. 157.* pro *Serotino* declaramus. De tali *multiplici* itaque partu *ſerotino* judicant & decernunt *ICti*, an ſit *legitimus*, ex *honeſto* matrimonio & *licito* congreſſu eveniens, ut ipſe etiam *fœtus*, inde natus, *honeſtus* & legitimus, *nec ſpurius* exiſtat: *Medici* vero inquirunt & deliberant an talis partus per *cauſas naturales retardari*, imo tam *diu differri* queat; & *quales* ejusmodi ſint cauſæ, an *tales* cauſæ in *quibusvis* fœminarum corporibus *indiſcriminatim ſimilem* efficaciam habeant, an propterea ab *uno* & *paucis* exemplis, ad *omnes* caſus, aut *univerſalis* valeat applicatio & concluſio, &c. In hac obſervatione & meditatione porro ſollicita illa circumſpectio attendenda eſt, ne ex *dubia conceptione* calculus ducatur, alias ex falſo *fundamento*, & erroneis *præmiſſis* fluunt etiam *falſæ* demonſtrationes & *irritæ* ac *fallaces* concluſiones: propterea tamen haud frivole & temere judicandum eſt, quaſi in *omni* caſu & ſubjecto *abſolute* lateat & abſconditus ſit *conceptionis* terminus: quo itaque partus *præcipitatus* & præmaturus, aut *retardatus* & ſerotinus *recte* dijudicari queat, ante omnia *certitudo* quoad *terminum conceptionis* re-

 qui-

quiritur & hoc fundamentum huncque terminum computationis *ICti* etiam obſervant, referente *Zieglero in not. in Zacchiam lib.1. tit.2. qv.6. n.1. edit. Franci & Carpzovio in Jurisprud. Forenſi Parte 4. conſtitut. 27. definit. 15.* ubi aſſerunt, ſi *undecimeſtris partus pro legitimo habendus, menſis computari debet non a mortis, ſed a conceptionis tempore:* & *Stryckius in tr. de ſucceſſione ab inteſtato* dicit, *diſſert. 1. cap. 2. ſ. 17. p. 54. in tali partu non a tempore mortis, ſed conceptionis computatio inſtituenda.*

§. V.

In præſenti obſervatione & tractatione dijudicandi partus *ſerotini* multi ſane *dubii* & *fabuloſi* circumferuntur caſus, quibus fides haud tribuenda: hinc *Dietericus in Jatrejo Hippocr. n. 486. p. 664.* dicit: *Si ulterius quam undecimum menſem extenditur terminus, aut fabuloſus aut monſtroſus eſt partus:* nec non *Diemerbrock anatom. lib. 1. c. 34. Hobokenius Epiſt. ad Th. Bartholin. p. 87.* & *de inſolit. part. hum. viis c. 20. p. 195. 196.* qui *c. 2. p. 10.* aſſerit: *omnibus* (hiſtoriis) *fidem adhibere vix poſſum: qui itaque undecimeſtres & omnes ulteriores fabuloſos & fallaces eſſe adſtruunt:* nos quidem haud pro abſolute *fabuloſo*, neque etiam prodigioſo habemus *decimeſtrem, undecimeſtrem*, & *duodecimeſtrem* partum, ſed in reliqua deductione demonſtrabimus, quod ob rationes *naturales* contingere queat; interim etiam adſeveramus, quod partim tales partus præcipue *undecimeſtris* & *duodecimeſtris*, *infrequentius* occurrant (ut huc quadret quod *Sennertus Prax. lib. 4. Part. 2. Sect. 6. c. 1.* eloquitur: *hæc rariora ſunt, neque pro lege naturæ habenda*) adeoque *ſingulares* & *ardui* momenti cauſas involvant, partim quod interdum magna *fraus* & *malitia* cum ſimulato &

de-

declamato tali partu contingat; quare *Ulpianus l. 3. §. 11. ff. de ſuis & legit. hæred.* *undecimeſtrem quidem partum conceſſit, ad hæreditatem tamen admittendum non cenſuit, ne aliquando defuncto marito licentioſa mulier efficeretur & talem partum objiceret; ut tradiderunt Lemoſius 3. de facult. Augenius de partu homin. Rejes qv. 90. n. 13. Caranza cap. 14. n. 12. p. 585. ſeq. & n. 17. p. 587.* huc ſpectant verba *Stryckii l. c. p. 54.* ubi paululum illam quæſtionem movet, an *undecimeſtris* partus pro *legitimo* habendus & inter alia dicit: *Non tamen in partu ſeriori dijudicando Viduæ qualitas negligenda, an ſcil. bonæ famæ ſit: & honeſte vixerit, & nulla in eam ſiniſtræ converſationis ſuſpicio cadat: ita enim aliquando, partus duodecimeſtris legitimus pronunciatus fuit, Beuſt de Matrimon. Part. 1. c. 36. & in terminis idem deciſum fuiſſe notatum a Sarde Deciſ. Friſ. lib. 4. tit. 8. def. 10. adde Mynſing. lib. 6. obſ. 60. n. 12. Caute tamen hic procedendum, ne malitia aperiatur feneſtra:* neque etiam negamus, quod fœtus in utero *exſiccari* & per *longum tempus* detineri ac tandem excludi queat, ut quis facile *unum* aut *alterum annum* geſtationis numerare poſſet: qualem caſum allegat *Bartholinus Cent. 1. hiſt. 12.* Sed quis *talem* partum cum *naturali* comparare audeat? quando vero hiſtoriæ illæ *curatiori* ſtudio & *prudenti* judicio obſervantur, quales ſupra annotavi, & quas collegit *Francus in notis in Zacchiam lib. 1. tit. 2. qv. 6. n. 2. p. 68. ſeq.* qui proferunt partum, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, ſedecim, octodecim, novemdecim, viginti, *Menſium*, duorum, trium, quatuor, quinque, tredecim, ſedecim, viginti duorum, viginti octo *annorum*, tunc ſane multæ circumſtantiæ intervenient, quæ rem *aliter* geſtam, & *falla-*

tiam elenchi aperient & enodabunt, unde in decidendis talibus caſibus ſecurius & *prudentius* eſt judicium *ſuſpendendum*: nos ad minimum de *abſoluta* illorum veritate adhuc *dubitamus*: Interdum etiam ab ipſis fœminis notabilis *error* in calculo ſive *computatione* committitur, ut *maturius* ſe *concepiſſe* autument, quam quidem conceptio *actu* contigit *vid. Valentini Pandect. Med. Legal. lib. 1. Sect. 1. caſ. 36. in requiſitione*; hinc aliquando menſtruus fluxus *uno* aut *altero* menſe vel ob *tranſitoriam* & mitiorem *morboſam* cauſam, vel ob naturam *ſalacem*, laſcivam & *imprægnationis* cupidam *maturius* retinetur, quamvis *actualis* ingravidatio *ſerius* tandem contingat, interim ſi a *prægreſſa* Menſium ceſſatione *præmatura* imprægnatio numeratur, tunc facile *exquiſite nonimeſtris* partus, pro *undecimeſtri*, aut *duodecimeſtri* declarari poteſt: quare *Marcellus Donatus l.c.* dicit: *nonnullæ quidem fœminæ, quod Hipp. de natura pueri ſcribit, ſe decem menſium ſpatio utero habuiſſe exiſtimarunt deceptæ, quod uterus ſpiritum in ſe ipſum acceperit, ſicque ventre a flatu elevato: quin etiam menſibus non reſpondentibus alia de cauſa in uteroque congregatis atque caleſcentibus flatibus permixtis falſam geſtationis ſpeciem referunt, ſeque tunc concepiſſe arbitrantur, licet non niſi menſe ſubſequenti vel altero rite concipiant, unde partus tempore adventante ſibimet imponentes 10. vel 11. menſe fœtum edere exiſtiment: Fort. Fidelis Relat. Medic. l. 3. Sect. 7. c. 9.* ait. *Putat Hipp. de nat. pueri prop. fin. partum illum qui poſt decem menſes viſus eſt prodiiſſe, plane eſſe fallacem: non quæ longius, inquit, quam decem menſium tempus uterum geſtare ſibi viſæ ſunt, (non hoc ſæpe, ait, audivi) illæ ipſæ deceptæ ſunt; ſæpe enim flatu attolli uterus videtur, men-*

ſes-

ſesque ; ſiſtuntur, ut propterea falſa eſſe videatur conceptio, ex hiſce ſingulis facile inclareſcit quam circumſpecte & *judicioſe* partus, qui *ſerotinus* nominatur, inquiri & decidi debeat, præcipue cum in ejusmodi *controverſis* & *ancipitibus* circumſtantiis nonnullæ ſuſpectæ perſonæ *refugia* & latebras quærant; quam ob rem etiam *nudæ hiſtoriarum* commemorationes & allegationes theſin non *abſolute* confirmant, quoniam *veræ* & *fabuloſæ* enarrationes *inter ſe* permixtæ ſunt, ut quoad *ſelectum* congruum prudentia opus ſit.

§. VI.

Uſus realis in hac meditatione merito attendendus eſt, ne obſervatio talis pro nudo *luſu*, aut *abuſu*, aut *defectu* naturæ declaretur: quam ob rem uſus talis aut in foro *Phyſico-Medico*, aut *Juridico*, celebris & realis exiſtit: Quod *Priores* uſus attinet, tunc hæc obſervatio non modo *hiſtoriam Generationis*, in genere illuſtrat, ſed ſeorſim terminum *juſtum* & *naturalem* partus humani *confirmat*, exorbitantias vicisſim & *inſolitas*, imo ominoſas immutationes, *anticipationes*, & *cunctationes* ſignificat, adeoque ordinem *à Deo* deſtinatum, & *a Natura* obſervandum comendat: deinde indicat & detegit *illas cauſas*, quæ proceſſum *generationis*, videlicet *formationis* fœtus in utero & *partus* humani alterare poſſunt, & in hac indagatione ſignificat quantum *jus* habeat *anima* ſuis *moribus*, *affectibus* & *viribus* in hoc negotium, nec non quæ cauſæ *internæ* ad œconomiam *vitæ* ſpectantes, ut & *externæ* aliæ naturales, imo plane *violentæ* in eodem negotio *concurrere* & cooperari ſoleant: porro inſtruit *medicum* quomodo cognita *vera* cauſa applicationem ſuam *practicam* accommodare debeat,

vide-

videlicet ominoſis *contingentiis* ſubveniendo, ne aut *puerperæ*, aut *ſerius nato* infanti aliqua *præjudicioſa* detrimenta & incommoda ſuperveniant, ſed quo potius naturæ aut *languenti* & enervatæ, aut alioquin *perturbatæ* ſubveniat, indeque illa *impedimenta* avertat, quæ *conſequentia* alia mala afferre poſſunt & ſolent: præterea hæc conſideratio medicum *aptum* ex hac parte reddit, quo conſiliis *legalibus* ſatisfacere, adeoque *fundamentum* componendarum arduarum *difficultatum* ſternere queat, ſiquidem alias in caſibus talibus *forenſibus* accelerati aut retardati partus agnoſcendi medici in conſilium vocari ſolent: præcipue vero in hoc caſu ſerotini partus *intricatas* cauſas, *uterum* concernentes & in *conſenſum* ducentes, ſolertiori ſtudio indagare nituntur, inſuperque ex hac diſquiſitione in alios *connexos* mulierum affectus *applicationem* derivare laborant, ut ita ad monitum *Hippocratis Natura* & *affectus Mulierum* clarius quoad formam & normam ſuam innoteſcant: inſuper eadem obſervatio *medicos* ex variis *cauſis* & reſpectibus inſtruit, quo fœminas quoad calculum *juſtum* ducendum in periodo *geſtationis* & termino *partus* certiores & *accuratiores* reddere queant, & quo imposterum varii *errores connexi* in hac *computatione* evitentur, ſiquidem alias in eodem negotio medicorum conſilia nonnunquam deſiderantur: dehinc præſens meditatio & *medicos* & per hos etiam *fœminas gravidas* neceſſariis *monitis* ac *cautelis* inſtruit, ne partus *præmature* urgeatur & *provocetur*, neve maturus & *juſtus* partus *cohibeatur* & pro *accelerato* tractetur, adeoque *natura* in *juſta* ratione temporis *turbetur*: ex hac obſervatione medici pariter illam veritatem agnoſcunt, quod partus non nudis *neceſſitatibus* phyſicis aut

po-

potentiis *materiarum* & cauſarum materialium ſubjectus ſit, ſed quod ob *certas* cauſas aliquandiu differri queat, imo quandoque *rationali* moderamine *retardari* ſoleat: quo loco vero iterum *illum retardatum* partum ſeparamus, quando gravidæ *fœtum mortuum* exſiccatum, putrefactum &c. *diutius*, quam naturalis & *ordinarius* terminus eſſe ſolet, aſſervant, & poſt notabilem moram denique partu excludunt: ſed potius hoc loco intelligimus partum ſerotinum, quo infans *vivus*, ut plurimum *integer* & *ſanus* in lucem editur: huc enim valet, quod *qui mortui naſcuntur, neque nati neque procreati videantur ff. de verb. ſignif. ſ. 129. conf. Bartholinus de inſolit. part. viis. c. 2. p. 12. hi fœtus* (de quibus autor loquitur) *ſani & vivi accuratum puerperii momentum obſervarunt, quo denegato fœtus vivi eſſe deſierunt, cadaveribus adſcribendi, quibus nec impregnatio ulla, neque nativitas recte adſignatur, partus tamen nomen apud authores noſtros retinuerunt, neſcio quo ſuo merito.* Uſus vero *Juridicus* ex hac obſervatione eveniens eſt, ut inde ex juſtis & *certis* cauſis decerni queat, an natus infans *honeſto* & *legitimo*, aut *ſpurio* & *illegitimo* partu genitus fuerit, an *poſt obitum* patris *decimo*, *undecimo*, *duodecimo* Menſe aut *ſerius* natus infans ad *hæreditatem* & *ſucceſſionem* admittendus ſit; quid de *poſthumis* quoad *partum* judicandum? an ſerius nati ad *honeſta* officia admittendi, in *honeſta ſocietate* aut *tribu* tolerandi: an fœmina quæ *abſente* marito, qui vel *fuga* evaſit, vel diuturna *peregrinatione* abſens fuit, peperit, *caſtitatem* & *honeſtatem thori* obſervarit, an minus: ubi *pœna* matri ob copulam carnalem, nuptias aut matrimonium prævenientem, irroganda ſit? quando *poſt divortium*, aut *repudium* fœmina *ſerotinum* partum ſubiiſſe affir-

D mat,

mat, & infantem a *priſtino marito* concepiſſe adſerit: quo itaque judices *verum* fundamentum decreti ſui nanciſcantur, neceſſe eſt, ut in caſibus *dubiis Medicorum probatorum* judicia colligant, an talis *retardatus* partus verus & *certus* ſit, qui rationibus evidentibus & *ſolidis* demonſtrari poteſt, an *fictus* & *fraudulentus* exiſtat.

§. VII.

Quamvis *decimeſtris* completus & *undecimeſtris* initians partus |pro *legitimo* habeatur, tamen quæ *in fraude* verſantur & malitioſe procedunt, æque *illegitimum* talem produnt partum, & ad eundem, *quaſi* legitimum provocant: unde quidem exempla proſtant fœminarum in *honeſto matrimonio* viventium, quæ ſub *juſta* computatione *decimo* aut *undecimo* menſe partu naturali & *legitimo* ſolvuntur & liberantur: quare fæminarum *vitæ ratio* etiam exploranda eſt, ut *Stryckius loc. ſupr. cit. Caranza c. 14. n. 20. p. 588. A. Gellius Noct. Attic. c. 16.* monuerunt, ſiquidem facile *communes* illarum mores & *fama* de illis obvia multum ad interpretationem caſus ſubſtrati contribuunt; ita ad *vitæ genus honeſtum* & modeſtum adverterunt judices civiles in fæmina cujus partum *duodecimeſtrem* pro *legitimo* declararunt in *Novell. medic. legall. Valentini Caſ. 3. p. n. edit. in fol. 17. & p. 18.* extant verba: *Doctores etiam illi communiter omnes commentando, explicando & interpretando eo tendere videntur, quod jura & leges quæ in ſolito tempore natum, pro legitimo habendum eſſe negant, intelligi debeant, ſi mulieres ratione vitæ morumque ſuſpectæ, neutiquam ſi honeſtæ, bene moratæ, nec ambiguæ pudicitiæ ſunt. &c.* Sicut itaque *decimeſtris* & *undecimeſtris* partus *fraudulentus* eſſe poteſt, ita *citra* hunc re-

ſpe-

ſpectum & velut in abſtracto *judicium* de *iisdem*, & *connexis* reliquis ferre lubet : decimeſtris qui videlicet *in initio* aut etiam circa *medium* decimi menſis contingit, libere a *Medicis* & *Ictis* pro *legitimo* admittitur : hinc *Fort. Fidelis. l. c. c. 8. p. 479.* dicit : *decimeſtrem partum, nihilominus quam novimeſtrem, vitalem eſſe conſtanter affirmo.* : *conf. Zacchias lib. 1. tit. 2. qv. 5. n. 19.* & qui plures authores horumque conſenſus deſiderat, adeat notas *Franci* ad hunc locum *Zacchiæ, p. 67. vid. Caranza c. 13. de natis in menſe decimo p. 568.* quando itaque in decimum *initiantem* menſem mora protrahitur, tunc *parva* mora, *nulla* mora eſt, interim variæ cauſæ *duarum* aut etiam *quatuor* ſeptimanarum ſupplementum accerſere poſſunt : quo loco illam obſervationem conciliamus, quod videlicet in *formationis* negotio *puerorum* natura *activior*, celerior & expeditior exiſtat, hinc *Phil. Melanchthon lib. de anima quæſt. quid eſt generativa potentia, ſ. hos* dies, & *Zacchias lib. 1. tit. 2. qv. 5. n. 8.* non male annotant, quod *maſculi citius*, ſæpe, quam fæmellæ *pariantur* ; neque etiam anilis *fabula* eſt, uti acerrimus ille cenſor *P. Ammannus in Paræneſ. p. 15.* judicavit, quod *Gisbertus Voetius de Creatione p. 748.* ex *Stephano Quaranta* retulit, *pueros* videlicet, *citius*, quam fæmellas *vita* & *motu* inſtrui : interea tamen *peculiares* etiam rationes occurrunt indagandæ, quando in *decimi* menſis *exitum* partus protrahitur, quoniam haud *ordinarium*, familiare & frequens exiſtit, ut *tali* termino temporis partus contingat : quam ob rem *non promiſcue* & ſine ulla conſideratione & dubitatione talis partus pro *conſueto* & *legitimo* agnoſcendus eſt : etenim & hic partus retardatus eſt, qui ſuæ *cunctationis*, cauſas *ſingulares*

 ha-

habet: quemadmodum enim *totus* menſis in *anticipatione* partus notabiles circumſtantias involvit, ut propterea *octimeſtris*, *ſeptimeſtris* &c. partus curatiorem diſquiſitionem inter Medicos & ICtos ſubierit, ita etiam per *integrum* menſem prolongatus partus *non fortuito*, ſed *certas* ob rationes contingere ſolet: Hoc ſi de decimeſtri Partu valet, ita in linea *adſcendente* increbeſcit judicium & augeſcit, propterea *undecimeſtris* quidem partus ob cauſas iterum *ſingulares* & *ſonticas* naturalis eſſe poteſt, attamen etiam cum eodem frequens *fraus* committi poteſt; ut propterea *defenſores* non *audacter*, impudenter & frivole cum *quibuslibet undecimo* Menſe parientibus fæminis ad *hanc* ſententiam, tanquam ad ſacram anchoram, commune protectorium atque aſylum, cornua altaris, & monaſteria catholicorum aut loca privilegiata confugere queant, ne juſtum cum injuſto confundere & fraudem ac malitiam defendere velle videantur; etenim declamatio illa, quod neque diabolo defenſio denegari debeat, nullius momenti eſt, nam ſi diabolus factis & operibus ſuis malus eſt, ita nulla mala poſſunt defendi, niſi ex acido dulce, ex tenebris lux, ex falſo verum conficiatur, & variæ *tergiverſationes*, fictiones, aliorum exemplorum & caſuum *iniquæ* applicationes committantur, quod tamen maximo ſtudio vitandum eſt; alias jus torquetur & incurvatur, ut minime ſuum cuique tribuatur; etenim ſi tales caſus, qui *undecimeſtrem* partum pro *legitimo* declarant, velut a *particulari* ad *univerſale*, adeoque ſecundum variarum defenſionum morem ad *omnes* extendi poſſet, *nullus* ſane *undecimeſtris*, imo etiam *annuus* partus eſſet *illegitimus*; hinc *quæſtio* de tali partu inſtituta *inutilis* & ſuperflua evaderet.

§. VIII.

§. VIII.

Undecimeſtris itaque partus *relative* aut legitimus, aut illegitimus eſt: qui *decimeſtrem* lubenter & facile pro *legitimo* admittunt, *unum alterumve* diem undecimi menſis *addunt* & illum partum, qui primis undecimi menſis diebus contingit, *pro legitimo* admittunt: quam ob rem *Zacchias lib. 1. tit. 2. qv. 6. n. 16. 17.* aſſerit: ex ſupra addu-ctis, *eam concluſionem elicio, poſſe humanum partum per paucos quosdam dies ſupra decimum Menſem prorogari, acceptis etiam integris decem menſibus, quos tamen paucos dies ad certum numerum reſtringere, debemus: nam ſupra decem dies vix unquam illud fieri poſſe crediderim, rariſſime etiam & intra eosdem decem dies per dies autem tres ſupra decimum menſem (ut cæteras quasdam hiſtorias monſtroſas potius, quam naturales prætereæm) obſervavit Amat. Luſit.* &c. aliqui nituntur authoritate *Hippocratis*, qui *in lib. de ſeptim. part.* inquit, *mulieribus fides detrahenda non eſt, cum ajunt undecimeſtres ſe aliquando parere*; & *lib. de octim. partu* dicit: *neceſſe eſt cum ultra plenilunium mulier concipit eum conceptum undecimum menſem attingere: Fort. Fidelis l. c. c. 9. p. 481.* adſerit: *mea ſententia eſt poſſe, ac nihilominus ſolere undecimeſtrem partum ex naturæ præſcripto in lucem prodire* & *p. 482.* concedo equidem *nonum ac decimum Menſem communiorem eſſe pariendi terminum verum cur ſerius etiam aliquando evenire non poſſet, minime video: p. 483. mirum non eſt, ſi hæc mihi conceſſeris, poſſe fœtum & ultra decimum menſem & ad undecimum usque produci* &c. e numero Ictorum multi allegati ſunt in *D. D. Præſidis Iurisprudent. Medica Part. 1. c. 7. ſ. 18. lit. b. p. 157. ſeq.* quo referri meretur *Stryck. de ſucceſſ. ab in-*

 teſt.

teſt. diſſ. 1. c. 2. ſ. 17. Harprecht conſil. Tubing. Vol. 4. conſil. 51. quando vero partus circa *finem undecimi* menſis contingit, multi illum pro *legitimo haud* decernunt: hinc *Carpzovius in Iurisprud. Forenſi Part. 4. Conſtitut. 27. def. 15. n. 8.* dicit: *ſi ſub fine undecimi, vel ſub initio duodecimi menſis partus naſcatur, quia illegitimus habeatur, dubium prorſus non eſt &c.* eadem verba continentur in *Iurispr. Conſiſtor. Lib. 2. tit. 13. def. 225. n. 16. Stryckii* verba *l. c. p. 53.* ſunt: *qui undecimo menſe completo naſcitur, pro ſpurio reputatur, cum eo usque partus tempus non extendatur Nov. 39. c. 2. ergo ut ſub initium undecimi menſis naſcatur, neceſſum eſt, primo vel ſecundo die &c.* ſed damus inſtantiam, ſi honeſta minusque ſuſpecta fæmina, *in matrimonio* conſtituta, per *completos undecim* menſes, ut exempla proſtant, ob *peculiares* cauſas fœtum geſtare, & dein partus *non pro ſpurio* & illegitimo declarari poteſt; quidni fæmina *alia* vidua *ob ſimiles* cauſas *legitimum undecimeſtrem* partum experiri poterit: hinc circumſtantiæ bene ſunt ponderandæ: interim tales caſus valde *infrequentes* ſunt, propterea haud *promiſue applicandi*, ut ſæpe in præcedentibus monitum fuit: quare Reſponſum Facultatis Lipſienſis in *Zittmanni Medic. Crit. Cent. 1. caſ. 58. p. 229.* hæc verba de *completo* undecimeſtri partu continet, *qui tamen pariendi terminus inter nos valde infrequens & inconſuetus eſt, ut & raro pro legitimo deciditur:* quamobrem in talibus caſibus antea *peritorum Medicorum* judicia expetenda, & ipſorum medicorum adſerta diſtincte enucleanda & conferenda ſunt, ne *abſoluta* ſemper ſententia adſtruatur, quando *limitata* & *reſpectiva* eſſe debet: de *Medicis* & *Ictis* qui *undecimeſtrem* partum

tum aut pro *legitimo*, aut pro *illegitimo* decernunt *conf. nota Franci in Zacch. lib. 1. tit. 2. qv. 6. n. 5. p. 71.* in qua multa authorum ſuffragia allegata proſtant: Quod vero *annuum* & adhuc *tardiorem* partum attinet, tunc de eodem *Fort. Fidelis l. c. p. 485.* ita pro ſuo ſenſu judicat: *de reliquis vero partibus, qui ultra undecimum menſem in lucem prodeunt, plures adhuc ambigunt: negantque omnino tam tardum pariendi tempus nunquam fœminas experiri: ego vero tardius undecimo Menſe quandoque naſci partum poſſe, ſatis mihi perſuadeo (quanquam rariſſima hujusmodi ſunt exempla) ſiquidem illæ affuerint cauſæ, quæ paulo ante (p. 482) & moram & tarditatem parientibus afferre ex Galeno abunde docuimus: & ſunt etiam clariſſimi viri quidam, qui tales partus ſe obſervaſſe teſtati ſunt:* tales etiam author hic mox allegat: ſunt itaque & *Medici* & *ICti* qui *duodecimeſtrem* partum pro *legitimo* declarant *vid. D. D. Præſidis Iurispr. Med. l. c. §. 21. lit. a. p. 160.* ubi & alii qui *contrarium* ſentiunt allegantur: & quamvis cauſæ *quædam* ad tam *diuturnam* retardationem concurrere queant, tamen *rariſſime* tam diu geſtationem natura *differt*: & ſi nonnulli authores provocant ad *regiones*, ubi fæminæ minus fœcundæ, & magis *debilioris* naturæ ſunt, tunc noſtra judicia non illis, ſed noſtris regionibus ſcripta ſunt: reliquos in *admirationem* abeuntes partus ſerotinos *credulis* ingeniis relinquimus, quo facile referimus illum caſum cujus in *Flamminii Pinelli extraord. caſu* mentio injicitur, ubi locus allegatus ex *Freundii Hiſtoria phyſica Part. 2.* ubi fœmina per 46. annos fœtum in utero geſtaſſe ex *Albucaſis* & *Philoſ. Transaction. n. 367.* recenſetur: Ex hactenus itaque dictis, jam innoteſcet, *quos* partus *ſerotinos*

nos Medici & Iℓti *majo*[illegible] certitudine & ſolidiori ratione attendere & dijudicare debeant.

§. IX.

Præcedentes annotationes indicabunt *accelerati* & *præmaturi*, *juſti* ac *conſueti* *ſerotini* & *retardati* partus tempora; aſt quoniam *fraus* hominum adeo accrevit, ut quoad *quemlibet* talem terminum varia *figmenta* & falſæ accuſationes occurrere ſoleant, ita Iudicia *Civilia* in caſibus *dubiis* & *ſuſpectis* Medicos peritos & prudentes conſulere debent, quo veritas detegatur & fraus aut dolus aperiatur: quamobrem ad officia Medicorum pertinet, ut cauſas veras, manifeſtas & applicabiles inquirant & indicent, quæ ad *naturalem* retardationem Partus contribuere ſolent; & haſce cauſas quilibet *Medicus*, aut *Iudex* aut *defenſor*, conſcientioſus ad caſum *ſubſtratum* applicare debet & poteſt, unde facile apparebit, quid *veri*, quid *falſi* provocationi ad ſerotinum partum inſit: Diſpeſcunt vero ſeſe tales cauſæ, ex quibus nonnullæ in *gravidis*, nec non in *patre* genitore, aliæ in *fœtu*, quædam in *utrisque* ſimul annotari merentur: audiamus vero prius *Spigelii* teſtimonium in *tract. de fœtu formato Part.3. c.7.* Cur fœtus *citius* aut *tardius* partu excludatur, *nulla alia cauſa eſſe poteſt, quam maturatio & perfectio ejus, quæ fit in utero incerto tempore & variis interdum menſibus, ob facultates corpus fœtus gubernantes; vel debiliores, vel robuſtiores. Facultas autem debilis vel robuſta fit, vel per ſe, ex ſemine, nempe cui inhæret tanquam ſuo principio, vel debilis validave fit ex accidenti, nempe apti alimenti penuria, ob quam nequeunt oſſa firmari, corroborari ſpiritales animalesque partes adeo, ut debito tempore, cum in lucem prodi-*

re

re debet fœtus, neque flectere movereque ſe in utero, neque lac ſugere, aut ſpiritum ore naribusque ducere queat: Contingit autem hæc penuria alimenti vel matris vitio, nempe morbo, inedia aliave cauſa externa, vel fœtus ægritudine, quam ſibi pravo matris alimento, vel copioſo nimium acquiſivit: nam plurimis quoque morbis in utero matris fœtus corripi & veterum authoritate didicimus & nuper fœtuum diſſectione ſcimus: quod ſi in nobis, jam natis videamus ſæpe ægrum corpuſculum parum, interdum vero nil augeri, præſertim ſi diuturno malo fuerit conflictatum, niſi vires recolligat; nonne ſimiliter nobis licebit opinari fœtui ob morbum poſſe differri maturationis ſuæ tempus & exitus ex utero, usque quo debitam, confirmatis facultatibus, particulas quasque corporis gubernantibus, perfectionem acquiſiverit: hæc Spigelii verba allegat *Guldenklee Reſponſo 36.* cui titulus: *de partu 311. dierum: an pro legitimo habendus ſit* &. addit verba *Sennerti Prax. Lib. 4. Part. 2. Sect. 6. c. 1.* ſub titulo marginali *varii temporis partus cauſæ: ut enim in lucem editi alii ſubito incrementum ſumunt, alii ob morboſam conſtitutionem tarde augentur; ita in fœtu etiam ſi facultas formatrix fortis ſit, formatio citius abſolvitur & partus citius ſequitur; ſi debilis & formationis & partus tempus protrahitur:* conf. *Henn. Arniſæus de part. hum. legitim. termin. tit. 117. Zacchias Lib. 1. tit. 2. qv. 6. n. 8. Bartholinus de inſol. part. hum. viis c. 2. p. 13. Bonetus in Polyalth. Lib. V. de aff. Mulier. c. 26. p. 287. ex Sylv. Praxi lib. 3. c. 7. Rejeſius qv. 10. n. 3.* Hi ſinguli authores *cauſas* tales recenſent & proferunt, quæ ad *retardationem* contribuunt, quas propterea illi, qui *authoritates* & Dd. ſuffragia deſiderant conciliare & cum caſibus ſubſtratis quæſtionis conciliare poterunt:

runt: *conf. D. D. Præſidis Jurisprud. Med. Part. I. c. 7. §. 20. p. 159.* & *Caſus* additus *Secundus p. 167. 168.* Priusquam vero ipſas cauſas ordine commemoremus placet adhuc *B. Lutheri* judicium de *undecimeſtri* partu allegare, *conf. ejus* **Tiſch-Reden** *c. 36. p. 342.* Ob ein Kind ſo in Eilff Monath gebohren iſt, ein recht ehrlich Kind ſey, obs auch natürlicher Weiſe geſchehen könne? Hierauf antwortet D. Mart. Luther: Dieſen Fall hab ich zweymahl gehabt, daß das Weib nach des Mannes Abſchied in Eilff Monath ein Kind gebohren hat: es macht ſchwehre Gedancken: ich konnte es nicht glauben: darin muß in ſolchen Fällen gütliche Handlung gepflogen werden, daß man einen mit guten Worten beredt, daß er um unſres HErren GOttes und Friedes Willen, als ein Chriſt etwas verbeiſſe und laſſe ihn walten, damit das Weib nicht zu Schanden und ehrloß, oder aufs wenigſte, dann für verdächtig gehalten werde: Rechte haben hie keine Statt: gleichfals wann einer ſeine Braut nicht rein finde, einen Balg für eine Jungfrau, da muß man nun freundlich mit guten Worten aus Liebe handlen; das Recht hat da nichts zu thun.

§. X.

Ad ſerotinum itaque partum contribuit 1) Si *parentes diſtincte tenerioris* ætatis fuerint, aut mas generans, aut fœmina, aut utraque ſubjecta; ad actum enim *generationis* requiruntur, *vires* ſufficientes, quæ in *tenera* tali ætate haud præſto ſunt, hinc ejusmodi conjuges aut valde *imbecillos*, aut morboſos, miſeros, male conformatos infantes generant, aut *abortus*, aut *retardatum* partum experiuntur: etenim vel *debilis* natura in fœtu tam *prompte* & alacriter *arduum* hoc formationis negotium haud perficere poteſt, unde vel *ſub ipſo* tali proceſſu *delinquit* & deficit, ut *matris* natura ea propter ad *abactionem* inſtituendam invitetur, vel ob *propriam* ſuam *imbecillitatem* fœtum *diutius* ſuſtentare haud poſſit, unde illum abortivo actu expellit: vel *debilis fœtus* natura ad corporis ſui *perfectiorem* elaborationem & confirmationem *diuturniori* mora indi-

get,

get, vel *matris* natura dum *proprium* infirmum & *tenerum* *ſuum* corpus adhuc aliquandiu *nutrire* & confirmare debet, quo ad futuros *vitæ* & *generationis* actus præſtans atque *habile* exiſtat, tam facile *ſufficientèr* & expedite fœtum ſuum *neceſſario* alimento fovere & inſtruere haud poteſt, ut iterum ad hujus *perfectam* formationem *longior* mora neceſſaria exiſtat, indeque partus *ſerotinus* evadat & emergat: hinc aliquando *tam juniores* & *debiliores* conjuges per *primos* annos matrimonium *infœcundum* experiuntur, donec natura unius aut alterius, aut utriusque partis ad congruam *firmitatem* & *maturitatem* corporis devenit: quid quod interdum plane evenit, ut natura conjugum, dum per *initia* mutuæ cohabitationis *propriis* ſuis corporibus adhuc *obfirmandis* operam impendere debuerit, *ſterili* congreſſui adſueſcat, quando videlicet in talibus ſubjectis ſingularis *animi* & *corporis* œconomiæ *ſenſibilitas* concurrit: hinc ab actu generationis tales naturæ *deſveſcentes* deflectunt, & *ſuis* tantum corporibus ſuſtentandis & augmentandis *vires* applicant: ita etiam 2) contingit, ut parentes *annoſiores* & pater *ſenex*, mater *quinquageſimo* anno proximior, inſuperque *debiliores*, & jam *multorum* genitorum infantum parentes fuerint, qui propterea *talibus* qualitatibus præditi haud ſunt, ut *prompta* inde generatio expectari queat, ſed ſub tali *imbecillitate* natura humana *aliquo* temporis *ſupplemento* indigeat; ſicut *analogia* talis in aliis actionibus humanis obtingit, ut ſub *junioribus* annis & *melioribus* viribus exercitæ actiones citius ad exoptatum & deſideratum ſcopum pervenerint, quæ nunc ſub *annoſiori* termino inſtitutæ, *longiori* mora indigent: quare in talibus caſibus ratio attenta habenda eſt *virium* re-

ſpectu *ætatis*: hinc *Sennertus in loc. ſupr. all.* talem caſum profert, ubi fæmina *junioribus* ætatibus plures infantes ad legitimum & *ordinarium* terminum geſtavit: *ultimos* vero *ſerotino* partu in lucem edidit: quo etiam reſpiciendum eſt, ſi viduæ *poſthumum* pariunt, & quidem *ſerotina* parturitione, ubi obſervare convenit, an illa *multorum* infantum mater & nunc *annoſa ſit*: in qua ſub ejusmodi circumſtantiis facile *languor* naturæ agnoſci poterit; quamvis nunquam genitoris *annoſior* ætas prætervidenda ſit: 3) protrahitur porro partus, ſi alias quidem parentes *debiliores*, nec ſatis robuſti fuerint, ubi partim *principium* fœtus generans debilius, *ſegnius* & *tardius* actum formationis peragit, partim *matris* natura *ſuis officiis*, ad hoc negotium neceſſariis æque *longiori* mora & protractione fungitur, ut propterea in hac neceſſitate *temporis* ſupplemento *compenſetur*, quod quoad *virium* robur & præſtantiam *deficit*: nam ad hunc proceſſum generationis, ut modo indicatum fuit, *ſufficientes* vires requiruntur: 4) Si etiam parentes *valetudinarii* fuerint, tunc hic ſtatus ſingularem *imbecillitatem* conjunctam gerit, ob quam negotium generationis aut *difficulter* plane ſuccedit, ut propterea matrimonium facile *infœcundum* reddatur, aut gravidæ *facile* & ex *levi* cauſa *abactionem* patiuntur, aut etiam ultra *conſvetum* terminum fœtum geſtant: ſiquidem ipſa *imprægnatio* multas afflictiones *morboſas* infert; unde fæminæ ſub eadem multiplicibus *impedimentis* obnoxiæ ſunt, quæ *promptum* & expeditum ſucceſſum *formationis* offendunt & retardant.

§. XI.

Hiſce circumſtantiis porro annumeramus 5) Si *gravidæ*

vidæ aliquandiu *arduo* & *periculoſo* morbo laborant, qui tamen *nullum* abortum cauſatur, ſub quo utplurimum *una* fœtus ægrotat, ad minimum in *formationis* proceſſu non continuat, quid quod potius debilis redditur: quare hic terminus ægrotationis aliquandiu *impedimentum* affert, qui *defectus* propterea *aliquot* ſeptimanarum *additamento* compenſandus eſt, ſiquidem interdum accidit, ut natura *gravidæ* aliquot ſeptimanis *adverſa* conflictetur valetudine, ſub quo *proprio ſuo* corpori hujusque *integritati* adjuvandæ proſpicere debet: ſimile quid contingit, 6) Si gravidæ *violentiam* aliquam perpeſſæ, & ſubinde etiam *ſenſibiliores* & *debiliores* exiſtunt, velut *vulnera* aut oſſium *fracturas*, ſub quorum reparatione aliquandiu *ſufficiens alimentum* fœtui decedit, qui tam diu in *continuanda* formatione & confirmatione impeditur, donec *reſtituta* matre & collectis iterum ſufficientibus ac neceſſariis *viribus*, in illo opere ipſe proſequatur adeoque paulo *longius* partum differre teneatur: 7) huc ſpectat, ſi gravidæ alias teneræ, aut *debiles* & ſenſibiles, *graves*, multos, complicatos & pertinaces affectus *morbidos*, ſtatum *graviditatis* interdum comitantes, experiuntur, velut *ſpasmos*, *convulſiones*, *appetitus defectus*, diuturnos *vomitus* &c: ſub quibus neque *neceſſarium alimentum* fœtui ſuppeditatur, neque *vires* neceſſariæ in fœtu & matre conſervantur, ut propterea iterum *tardius* formationis actus ſuccedat, adeoque partus *ſerius* ſuſcipiatur: 8) Si perſonæ generantes *torpidioris* & *tardioris* indolis ex ratione *temperamenti* fuerint, velut *phlegmaticæ* & *melancholicæ*, aut de *utroque* temperamento ſimul participantes, inde evenit, ut dum *omnes* talium hominum actiones *ſegnius* & *tardius* procedunt, etiam *formatio* fœtus

in

in utero & *partus* ipſe aliquando eminentius *retardentur*: 9) ſi fæminæ antehac aliquoties *abortum* & per hunc eximiam *enervationem* & in negotio *conceptionis* languorem & *torporem* perpeſſæ ſunt, tunc contingit, ut ſi denuo *concipiunt* & conceptu fœtum *retinent*, hujus *formatio lente* & *debiliter* ſuccedat, adeoque *diuturniorem* temporis terminum ad ſui perfectionem requirat, unde etiam partus *differtur* & ſerius inſtituitur: 10) Si fæminæ ſub *ingravidationis* ſtatu multas *animi* afflictiones, anguſtias, magnum mœrorem, ſollicitudinem, ærumnas, curas aliasque *turbas* perciperunt, (*conf. Valentini Novellar. Med. Leg. Caſ. 3. edit. in fol. p. 15. Sylvius Prax. Lib. 3. c. 7. Zittmanni Medic. Critic. Cent. 2. Caſ. 37.*) aut multas *vigilias* experiuntur, tunc non modo *vires* valde *enervantur*, ſed & reliqua œconomia *vitalis* in *matre* perturbatur, quæ offenſio *fœtui* communicatur, qui propterea tam facile & *cito* ad corporis ſui *integritatem* pervenire haud poteſt, quo itaque *diuturnior* mora requiritur, ob quam etiam poſthac partus *retardari* ſolet: ita enim manifeſtum eſt, quod cujuslibet *animo* valde afflicti hominis corpus *haud* obfirmetur, *nutriatur* & pingueſcat, ſed potius contabeſcat; ita facilis erit demonſtratio, a veritate *facti* deſumpta, quod formationis negotium in fœtu a *ſimilibus* conditionibus animi valde impediatur, quoniam inter *matrem* & *fœtum* magnus intercedit conſenſus; ad quales cauſas præcipue adverterunt *Valentini in Novellis med. leg. Caſ. 3. & Sylvius Prax. Lib. 3. c. 7.* Seorſim vero notare convenit, quod multæ *vigiliæ* valde *enervent* & functiones *vitales* atque *naturales* turbent, quæ perturbatio *fœtui*, ſub *formationis* proceſſu comprehenſo, valde infenſa eſt, qui *tam cito* negotium ſuum perficere haud

pot-

poteſt; propterea que *longiori* mora indiget, cum qua retardatione actus formationis, etiam *retardatio partus* conjuncta eſt: 11) Si porro fæminæ poſt perpeſſum *difficilem* morbum, aut *gravem morbum* ſub *puerperio* ſuperatum, mox iterum imprægnantur, interea vero adhuc magna *virium* proſtratione & *uteri* imbecillitate laborant, ſubinde etiam non *ordinariæ robuſtæ* naturæ, ſed paulo *infirmiores* exiſtunt, tunc *natura* matris, adeo debilitata, *novo* actui formationis tam *vegete* & expedite ſuccurrere haud ſolet, quæ in *enervato* ſuo corpore *proprias* vires colligere debet; quare ille actus *formationis* iterum *difficilius* & *tardius* ſuccedit, unde etiam partus aliquando in *longius* tempus *differtur*.

§. XII.

Præter hæc momenta etiam notandum eſt 12) ſi *pater* aut *mater* a ſtirpe *minus* fœcunda dependent adeoque in facultate *generatrice* haud qualificata fuerint ſubjecta, tunc conjuges tales *infœcundius* matrimonium, aut varias *remoras* in diverſis circumſtantiis, *generationis* proceſſum concernentibus, experiuntur: 13) ſi pater aut mater in actu procreandi ſobolem, ſingularem *moroſitatem*, abſtinentiam & adverſitatem continent, tunc iterum *conceptio*, *formatio* & *partus* difficilius, ægrius & tardius procedunt, ſiquidem illa *ſpecialis*, hunc actum generationis *directe* concernens, *animi* abjectio actum illum cum tædio comitatur, & ſicut *omnes* operationes cum faſtidio ſuſceptæ *lente* & *impedite* procedunt, ita hic, *talibus* qualitatibus inſtructus, minime exemptus eſt: 14) Quodſi etiam quædam gravidæ non modo inſultum *abortus* ſubierint, ſed etiam ob eundem in gravem *animi* abjectionem & ſollicitudinem *vi-*

rium-

viumque dejectionem delapſæ fuerint, licet ipſe abortus *non actu* conſecutus, ſed cohibitus & impeditus ſit, tunc ob hanc eximiam *alterationem*, quæ *fœtui* & *matri* obtigit, *reliquus* actus formationis grave *impedimentum* perpeſſus eſt, ut per diuturnam moram & mater & fœtus *vires* capeſſere & colligere atque in debito *ordine* formationis *continuare* debeant; quæ retardatio denuo cum *proximo partu* connectit, qui propterea ob grave hoc accidens per aliquem temporis ambitum protrahitur: 15) Si fæminæ *debiliores* & *teneriores* cœteroquin etiam pauperiores adeoq; *ſufficienti victu* deſtitutæ gemellos geſtant, tunc *tales* fœtus ſub ejusmodi circumſtantiis *diuturniori* temporis mora aliquando indigent, qua aliqualem corporis ſui *perfectionem* nanciſci queant: quoniam paucitas *alimenti* & *virium* languor in *breviori* temporis circuitu minus quadrat & *ſatisfacit*: propterea etiam in tali ſtatu *partus* in tempore congruo & *conſueto* adminiſtrari haud poteſt: 16) Si fæmina quædam jam *multorum* infantum mater eſt, quæ non modo frequenti geſtatione, partu, lactatione & educatione illorum multum *vires* naturales ſuas *impendit*, nunc *annoſior* multumque *enervata*, circa periodum, qua proxime facultas *concipiendi* ceſſat, denuo concipit, tunc delaſſata talis natura non modo varias *difficultates* in hoc negotio experitur, ſed *ſerius* ad partum inſtituendum devenit: 17) Si gravidæ *ſuſpectas Hæmorrhagias* aut ex *utero*, aut ex *aliis* locis expertæ fuerant, aut 18) *incongruas* & *largas* atque *frequentes V. Snes* ſubierunt, tunc valde *enervantur*, neceſſarium fœtus alimentum ſubtrahitur, ut hic ſub tali *penuria* ſi non actuali *abortu* projicitur, tamen *tardius* & *debilius* accreſcat, lentius ad *maturitatem* & perfectionem ſuam veniat, adeo-

que

que ſimili *remorato* partu in lucem edatur: 19) Si gravidæ arduis, & difficilibus *laboribus* corporis, nec non *ſimilibus peregrinationibus* delaſſatæ valde fuerant, ſubinde a *natura debiliores* exiſtunt, tunc hæc *acceſſoria* enervatio *accrementum* fœtus in utero impedit & *retardat*, atque conſequentem partum in *longiorem* diſtantiam extendit: 20) Si gravidæ ob curtam rerum ſuarum ſupellectilem *multam famem* perpeſſæ ſunt, tunc ſi non *abortum* ſubierunt, tamen ob *paucam* alimenti copiam fœtus *diutius* in utero detineri debuit, donec aliqualem *perfectionem* acquiſiverit: 21) Si præter *fœtum*, etiam *Mola*, in utero hæret, tunc hæc illum impedit, tam quoad *facilem* & *tempeſtivam* efformationem & confirmationem, quam quoad promptum & *maturum* partum, hinc interdum utrumque aliquandiu differtur & retardatur: id quod tanto certius accidit, ſi deforme tale *concrementum* uterinum, *proximius* uteri cervici adnatum eſt: 22) Sic ex *morboſa* ratione protrahitur partus, quando fœtus hydrocephalo, aut *vitioſa* conformatione capitis laborat, aut alium *tumorem* in capite geſtat, ubi propter hoc impedimentum natura matris *partum ægrius* ſuſcipit, aut in *longius* tempus differt: hinc aliquando evenit, ut interea talis fœtus in utero *vita* privetur: *conf.* talis caſus in *Bartholin. Cent. 3. hiſtor. 51. Bonetus in Sepulchreto anatomico Lib. 3. Sect. 38. obſ. 6. Tom. 3. p. 114.* ſub titulo: *Partus ad 16. Menſes prorogatus, ob vitioſam capitis fœtus conformationem & illi accretum tumorem.*

§. XIII.

Præcedentibus circumſtantiis adhuc ſequentes addimus: 23) Si fæmina quædam conſuetas ſuas *Menſtruas* purgationes *tardiori* acceſſione & progreſſione ſubiit, ad-

eoque in officiis in & cum *utero* adminiſtrandis *tarditati* adſueta eſt, tunc hæc qualitas, quæ tamen *circumſpecte* dijudicanda & concilianda eſt, etiam aliquando ad *partum tardiorem* contribuit: 24) Si gravida inſolitos *alvi fluxus* perquam *delaſſantes* experitur, tunc ſimiliter fœtus in officio *formationis* valde impeditur & enervatur, ut hanc temporis *jacturam*, impoſterum aliquo *ſupplemento* temporario compenſare teneatur; inde emergit *longinquior* detentio fœtus in utero & *ſerotinus* partus, quam circumſtantiam etiam inter alias allegat *Sylvius* l. c. 25) Si aliquando ex certis cauſis *motus* in *utero* ad *partum* tendentes concitati fuere, (*conf. Valentini ff. Medic. Leg. Part. 1. Sect. 1. caſ. 36.*) qui vero *ſine* effectu decurrerunt, attamen *fœtum*, admodum alterarunt & *enervarunt*, ut *longiorem* moram ad ſui perfectionem neceſſariam habuerit, unde etiam *retardatus* partus cauſam duxit: 26) Si gravida multa *medicamenta* aut *incongrua*, aut *præter neceſſitatem* adhibuerit, quæ *moleſte* affecerunt fœtum, aut plane *enervarunt*, ut in actu *formationis* haud *convenienter* & expedite *conſvetos* progreſſus facere potuerit, ſed cum *mora* & *tempore* defectus reſarcire adeoque in *longiorem* terminum hoc negotium *protrahere* debuerit, unde iterum cauſa ad *ſerotinum* partum ſubminiſtrata fuit. 27) Id quod præcipue a *purgantium* fortiorum, aut crudorum *aloëticorum* uſu etiam dicendum eſt, ſi eadem *abortum non* provocarunt: 28) Valet hoc etiam de *Salivatione*, in *gravidis* inſtituta, quæ *quamdiu* ſuccedit, imo donec *amiſſæ* vires iterum reſtitutæ ſunt, actum formationis in *libero* & *legitimo* ſuo ſucceſſu impedit, ut dehinc totus reliquus decurſus *perfectionis* embryonis & *partus* conſequentis *diutius* extendatur & *retardetur*; nam

talis

talis *heroica* & ardua medicatio & *matris* & *fœtus* corpus & vires valde afficit: ſicut itaque ſub illa matris *vires* vacillant & corpus emarceſcit, ita fœtus in *ſuo officio* haud libere & prompte procedere poteſt, ſed velut tamdiu *otiari* debuit, donec *mater* iterum reſtituta eſt: 29) Si gravida diutius in *carceribus* & loco *ſqualido* detinetur, non modo ipſius corpus *ægre* afficitur, & *ſanitas* læditur, ſed & *fœtus male* ſe habet, *difficulter* in ſua functione *formante* ſuccedit & *longiori* tempore ſuum negotium perficit: id quod præcipue contingit in fæminis *animo* & corpore *teneris* & ſenſibilibus, in quibus *ordinariæ* functiones, ad œconomiam *vitalem* pertinentes, ſub tali tractatione eximias *evidentes* offenſiones ſuſtinent; quas etiam medici indicare debent: 30) Si gravidæ ſuſpecta medicamina *narcotica* & *adſtringentia* ingerunt, quæ variis modis actum *formationis impediunt*, confundunt, opprimunt & turbant, (qui propterea lentius ſuccedit) & ominoſam partus *retardationem* cauſantur, dum præcipue *motus* & *vires* languefaciunt, imo ſufflaminant, ut haud *alacris* in hoc celebri negotio ſucceſſus contingat: 31) Si gravidæ *moleſto* & *diuturno fluore albo* laborant, qui multum ad *uteri*, ipſius *matris* quoad ſingulas *vires* & *fœtus* enervationem contribuit, ut iterum *longior* mora requiratur, donec fœtus *maturitatem* & mater *ſufficientes* ad pariendum vires nanciſcatur: 32) Si ſceleratæ & malitioſæ quædam gravidæ media ad *abortum* procurandum adhibuerunt, quæ tamen effectum, quem intenderunt *plenarie non* præſtiterunt, attamen fœtum *moleſte* affecerunt, enervarunt & in formationis ſucceſſu impediverunt, tunc ob hanc etiam rationem proceſſus *formationis* & conſequentis *partus* tardius ſuccedit:

F 2

dit: 33) Si gravidæ fortiores & ominoſiores *compreſſiones* & *contuſiones abdominis* perpeſſæ ſunt, quæ aliquali & *utero* & *fœtui vim* intulerunt; ſi *abortus non* conſequitur, graviter tamen *fœtus* alteratur, ut *aliquandiu* in negotio fabricæ & *ſtructuræ* ſuæ libere & *alacriter* continuare haud queat, unde ob perpeſſum hoc *impedimentum*, longiori tempore indiget, quo ad *perfectionem* pervenire queat, quam ob rem *partus* pariter paulo ſerius conſequitur, præcipue ſi talis violentia *ultimis* ordinariis geſtationis menſibus illata fuit, ubi etiam ipſe *uterus* ſimul valde *debilitatur*, ut ad *tempeſtivum* partum perficiendum *minus* idoneus ſit, donec novas & neceſſarias *vires* recuperaverit: 34) Si gravidæ venuſtatis gratia *pectus* & *lumbos* veſtimentis valde *anguſtantibus* & *coarctantibus* comprimunt; tunc non modo *abortum* facile provocant, ſed ſi hic haud conſequitur, *accrementum* neceſſarium fœtus in utero valde *impediunt*, ut ipſe vel valde *gracilis*, tener & *imbecillis* evadat, vel *monſtroſam* induat figuram, quæ utræque qualitates interdum ad *retardationem formationis partus* contribuunt: quæ *damna* alias tales *compreſſiones* fæminis afferant; *conf. in Franckenau Satyr. Med. XII. de Gallico Planchette:* 35) Si fœtus *morbo* aliquo laborat; aut per qualescunque alias cauſas *debilitatus* eſt, tunc aliquandiu *formatio* ceſſat, donec vires *ſufficientes* redierunt & *morboſa* calamitas præteriit, unde iterum *partus* per connexionem *differtur:* 36) Si fœtus nimis *grandis* eſt, tunc hanc molem natura matris *abhorreſcens*; aliquandiu partum *prorogat*, donec neceſſitate coacta illum paulo *ſerius* ſuſcipiat: ubi tamen interdum accidit, ut tam diu retentus fœtus, in utero moriatur; talis parallelus caſus allegatur a *Platero obſ. Lib. 2. p. 228. & in Pract. Lib. I. c. 9.* quem commemo-

memorat *Bonetus l. c. obſ. 7. ſ. 4. p. 115. 116.* de *fœtu nimis magno, per X. Menſes retento qui per partum non potuit ob magnitudinem ſuam excludi adeoque mortuus eſt*: 37) Si fœtus aliquid *monſtroſi* continet, tunc natura matris hanc *deformitatem expaveſcens*, aliquandiu partum haud molitur, ſed in longiorem moram differt. Et hæ ſunt plurimæ illæ circumſtantiæ, quæ in inquirendo & dijudicando Serotino Partu probe attendendæ & conferendæ, haud tamen ita accipiendæ ſunt, ac ſi ſemper talem effectum edere debeant, quoniam deinde illa congeries illeque nexus cauſarum annotandus eſt, ubi prædictæ circumſtantiæ effectum illum provocant, aut minus inferunt.

§. XIV.

Ultimo denique loco iterata vice indicamus, quod in decidendo *Serotino* Partu ante omnia *certitudo calculi* requiratur; ne tales errores committantur, quales §. V. ſignificavimus, ſiquidem in talibus dijudicationibus neque *opiniones*, neque *fictiones*, neque *præſumptiones* valent: & ſi *terminus conceptionis* indagatu aliquando difficilis & anceps eſt, tamen plurimæ fæminæ utplurimum in illo haud aberrant, modo quaslibet eo ſpectantes circumſtantias circumſpecte colligant & conferant. Deinde in *caſibus forenſibus* prædictas numeroſiores cauſas & circumſtantias *Defenſores* haud ludicre, præcipitanter & promiſcue in ſuam rem trahere, ſed prudenter obſervare debent, an tales circumſtantiæ *exacte* quadrent ſubjectis, quorum defenſionem in ſe ſuſcipiunt: etenim *minus diſtinctæ* & potius indifferentes applicationes exceptionum, *quodvis* facinus & delictum excuſare poſſent, quare *conſcientioſi* & *prudentes* judices facile errorem, qui in applicatione in

concreto & caſu *ſubſtrato* interdum commiſſus eſt, advertunr: ob id prædictas circumſtantias circumſepimus & præmunimus, ne illotis manibus & temerariis invaſionionibus pateant: *innocentibus* enim perſonis, quæ ſub ſuſpicionem cadunt *protectorium* ſubminiſtrant, malitioſis vero minime quadrant, quarum *facinora* defendere & *exculpare* haud probum & *juſtum* eſt: Quod vero *Medici* officium attinet, quoad partum *ſerotinum*, tunc illud etiam *Sylvius l.c.* & *Bonetus in Polyalt. p. 289. 290.* allegant: ante omnia ipſi Medici *certitudinem* ſibi comparent, an etiam partus *vere* retardetur: ne *maturum* partum inique invadant & cum *præjudicio* præcipitent & *accelerent*: neque etiam convenit, ſi fœtus *ultra conſuetum* terminum detineatur, aut *medico-pharmaceutica*, aut *obſtetricante* ope partum urgere, quemadmodum remedia *ſtimulantia*, motus ad *partum* pertinentes in utero per *concentrata*, valde *calefacientia*, purgantia, peſſaria & fomenta irritantia & ſimilia certius nocent & *fœtui* ac *matri* inimica & *pernicioſa* ſunt; ſed potius ad *promovendum* & *facilitandum* partum retardatum conducit *animi* moderatio & continentiæ, tranquillitatis, confidentiæ, erectionis animi aut alterius honeſtæ & placidæ *delectationis* provocatio: porro convenit moderata *commotio* corporis per *vecturam*; ut & ordinanda ſunt remedia modica *confortantia*, Spirit. Sal. ammoniac. cum Eſſ. Succ. Meliſſ. Cinnam. & Tinctur. tartari: conferunt juſcula *vinoſa* quadantenus *aromatiſata*, modice *crocata*: *Borellus Cent. 3. obſ. 52.* Eſſentiam *Succini* admodum commendat, quam etiam in hoc caſu cum Eſſ. *Caſtorei* mixtam laudamus; proficiunt etiam *Balnea* aut *Inſeſſus* cum herbis meliſſ. abrotan. menth. artemiſ. puleg. &

rad.

rad. Valerian. conficiendi, conjungantur *Pilulæ Stablianæ* per tres dies uſurpandæ, una cum *Pediluviorum* uſu, ut mane Pilulæ, veſperi Pediluvia adhibeantur: ab extra conducit *cataplaſma* ex rad. mei, Valerian. galang. cyper. rotund. ariſtoloch. rot. herbis modo nominatis, Speciebus emollientibus, anthophyllis, Croc. orient. Caſtor. Galban. conficiendum & abdomini *iterata* vice applicandum: proſunt etiam *Clyſteres* ex ſpeciebus emollientibus & uterinis parandi; poſt horum uſum ordinentur Pilulæ Stahlianæ: ſingula vero hæc remedia non nimis *frequenti* repetitione & *rigoroſa* methodo propinentur, ſed per *intervalla* tantum adhibeantur, ne vires naturæ *nimiis* medicaminibus obruantur: *externe* abdomini etiam illinatur Eſſ. Galbani, Croci, Caſtorei, Spiritus Meliſſ. rorismar. Præterea peritus medicus omnibus *illis* cauſis congrue *ſatisfacere* ſtudeat, quæ *medicæ* arti ſubjacent, & ad partus *retardationem* contribuunt: nihil vero unquam *impetuoſe* perpetret, ne frivole matrem & fœtum opprimat: aliquando etiam habenda eſt ratio *ſuperflui* ſanguinis, qui partum *impedit*, imo *retardat*; in quo ſtatu *V. Sio in pede* moderata fructuoſa eſt; ita enim alias partum *difficilem* in *Plethoricis* Medici *V Sne* & *inſtante* partu, aut *brevi ante* mitigare & ſublevare ſolent *conf. A. N. C. dec. 2. an. 1. obſ. 103. Riedlinus Lin. Med. An. 4. Menſ. Octobr. obſ. 30. p. 889.* cum uſu pilularum Stahlianarum, inſeſſuum, fomentorum, pediluviorum conjungatur pulvis ex Caſtoreo Croc. orient. borrac. venet. & C. C. ſn. ig. refracta doſi, & ſubordinata ratione adhibendus: & ſicut *calor* multum contribuit ad provocationem & conſervationem motuum *partum* efficientium & promoventium, ita *fomentatio-*

tationes modicæ calidæ in hoc caſu multum conferunt: Aggreſſiones *manuales obſtetricantes* aut *Chirurgicæ* in præſenti caſu haud conveniunt; quamobrem *ſecuriori* & *leniori* methodo partus *ſegnioris* & *tardioris* promotio ſuſcipienda eſt. Et ne limites transgrediamur clauſulam nunc imponimus ſub ſpe, quod præſens tractatio in *Medico* & *Juridico* foro non exiguam conferre poterit utilitatem. Rogamus denique humillimis votis Benigniſſimum Deum, ut præſentem laborem ſua benedictione complectatur, quo multa inde commoda proveniant, gloriam altiſſimi, & proximi variam ſalutem atque utilitatem promoventia; qui hujus etiam diſquiſitionis ſincerus noſter eſt.

F I N I S.

Erratum.

P. 17. lin. 19. 20. leg. ut nullorum - - - proſtant, proferamus.